LITTERÆ APPOSTOLICÆ

SS. PATRIS

CLEMENTIS XIII.

PONT. MAX.

SUPRESSIONIS, SEGREGATIONIS, ET APPLICATIONIS

INSTANTE VENERABILI

DECANO, ET CAPITULO

ALMÆ ECCLESIÆ

LEGIONENSIS,

ACCEDENTEQUE ASSENSU

CAROLI III.

REGIS CATHOLICI.



MATRITI

Apud Antonium Perez de Soto, MDCCLXII.

CLEMENS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXIMIA Catholicorum Principum pietas in plurimis humanarum rerum negotiis justè pertractandis solicita, in promovendo tamen Ecclesiæ Dei decorem ultrò, citròque operosa Nos reddit solertes, ut quæ ipsi Catholici Principes, ne Ecclesiastici Ministri religiosum cultum propter illorum inopiam Divino Numini demissè, sed honorificè impendant, providâ ratione disposuerunt, Apostolica dignatione suscipere, aliaque desupèr opportuna paterno, liberalique animo concedere non omittamus; unde Ministri ipsi, quibus est decorem ipsum laudabilitér sustinere, per nostræ providentiæ partes adauctis commodis, & utilitatibus sedula exindè assistentia, debitaque veneratione valeant Sacra peragere, prout divini servitii postulat incrementum, & Apostolica, ac Regia simul exigunt desideria.

Exordium Constitutionis Pontificiæ.

§. II. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs dilecti Filii moderni Decanus, ac Capitulum & Canonici Majoris Ecclesiæ Legionensis claræ memoriæ FERDINANDO, dum viveret, Hispaniarum Regi Catholico exposuerint, quod Ecclesia ipsa Legionensis Sedi Apostolicæ immediatè subjecta ob ejus antiquitatem, pluresque prærogativas, & præsertim illam Hispaniarum

Præces Regi Catholico Ferdinando VI. à Capitulo & Decano Legionensi porrectæ narrantur, necnon suppressio quindecim Canonicatuum à sanæ memoriæ Urbano VIII. facta ad augendam Canonicalem porcionem.

Reges Catholicos in dictæ Majoris Ecclesiæ Canonicos habuisse, & habere, grandiaque privilegia à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ei Apostolica auctoritate concessas, ac copiosas donationes à Regibus Hispaniarum Catholicis illi factas, una ex ditioribus Ecclesiis Cathedralibus Regnorum Hispaniarum esse deberet, nisi tractu temporis ob rerum varietatem, & præcipuè habitatorum in locis Legionensis Diœcesis deficientiam, ac terrenorum inculturam ex hujusmodi deficientia provenientem; necnon pretij annonæ imminutionem majori parte suorum reddituum privata fuisset, & foret, & pro eo quod dictæ Majoris Ecclesiæ Canonici hujusmodi de causis debitâ decentiâ se manutenere nequibant, felicis recordationis Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster ad præmissis consulendum quindecim Canonicatus, totidemque Præbendas dictæ Majoris Ecclesiæ dicta Apostolica auctoritate perpetuò suppressit, & extinxit; ac numerum Canonicatuum, & Præbendarum dictæ Majoris Ecclesiæ tunc ad numerum septuaginta Canonicatuum, totidemque Præbendarum ascendentium ad quinquaginta quinque Canonicatus, totidemque Præbendas tantùm (non comprehensis tamen in eisdem quinquaginta quinque Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, tredecim Præbendis cum dimidia Præbenda simili jam antea diversis operibus perpetuò applicatis, & ex eis tribus videlicèt *Fabricæ* dictæ Majoris Ecclesiæ, ac alia *Tribunali Sa-*

cræ Inquisitionis illarum partium, & alia vulgó *de Apeos* nuncupata, neque compræhensa reliquâ in Præbendis hujusmodi á pro tempore existente *Episcopo Legionensi* tempore Sacræ Visitationis per eum faciendæ lucranda) Apostolicâ auctoritate præfatâ etiam perpetuò redegit, ac dictorum quindecim Canonicatuum, & Præbendarum, ut præfertur, suppressorum, & extinctorum, ac suppressarum, & extinctarum fructus, redditus, & proventus inter quinquaginta quinque dictæ Majoris Ecclesiæ Canonicos, ut præfertur, reductos, necnon præfatas tredecim Præbendas cum dimidia Præbenda hujusmodi, ut suprà, applicatas possidentes (salva tamen semper dicta Præbenda pro dicto Episcopo Diœcesim Legionensem, ut supra, visitante) dividendos Mensæ Capitulari dictæ Majoris Ecclesiæ eâdem Apostolicâ auctoritate etiam perpetuó applicavit, & appropriavit.

§. III. Quodque etiam ex eo quod ex suppressione, & reductione, ac applicatione hujusmodi per dictum Urbanum Prædecessorem, ut præfertur factis, honesta, & sufficiens congrua Canonicorum ipsius Majoris Ecclesiæ, ut præfertur reductorum non proveniebat, imò ob bella successivé in illis partibus exorta dictæ Majoris Ecclesiæ Canonicis, ut præfertur, reductis præfatis necessaria manutentio deficiebat, piæ memoriæ BENEDICTUS PAPA XIII. pariter Prædecessor noster, accedentibus tùnc claræ etiam memoriæ PHILIPPI hoc nomine

Itidem memoriæ mandatur anexio nonnullorum beneficiorum simplicium, personalem residentiam haud exigentium, à Benedicto XIII. Pontifice Max. mensæ Capitulari in eumdem scopum decreta, suffragante Philipo V. Rege Catholico,

QUINTI etiam, dum viveret Hispaniarum Regis Catholici precibus eidem Benedicto Prædecessori desupèr porrectis, eidem Mensæ Capitulari nonnulla perpetuó simplicia & personalem residentiam non requirentia Beneficia Ecclesiastica in diversis tùnc expressis Ecclesiis dictæ Diœcesis sita, quorum insimùl fructus, redditus, & proventus ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera annuatim ascenderent, eâdem Apostolica auctoritate paritèr perpetuò univit, annexit, & incorporavit, in quorum tamen plena possesione præfati moderni ipsius Majoris Ecclesiæ Decanus, ac Capitulum, & Canonici non adhuc reperiuntur.

Expenduntur ad amussim præces moderni Decani & Capituli ejusdem almæ Ecclesiæ Legionensis necnon gesta instructiva, quæ in Regio Consilio pertracta sunt: deniquè exprimuntur veri valores dignitatum, canonicatuum, aliorumque Clericorum divino cultui inservientium adstruiturque disciplinæ Ecclesiasticæ observantia segregando á dignitatibus jurisdictionem qua finguntur.

§. IV. Et quoniam ipsius Majoris Ecclesiæ Canonici etiam cum unionis, annexionis, & incorporationis hujusmodi præsidio in impotentia se sufficientér, decentèrque manutenendi remanebant, ad hunc effectum præfati moderni Decanus, ac Capitulum, & Canonici ipsius Majoris Ecclesiæ preces suas dicto FERDINANDO Regi porrexerunt, ut ipse Ferdinandus Rex apud nos pro infrascripta gratia obtinenda se interponeret; sed sequuto interim præfati FERDINANDI Regis obitu, renovatisque ob id á præfatis modernis dictæ Majoris Ecclesiæ Decano, ac Capitulo, & Canonicis charissimo in Christo filio nostro CAROLO Hispaniarum Regi Catholico precibus, illisque ipse CAROLUS Rex (attentis informationibus tunc existentis Episcopi Legionensis, & simul instructionibus ab eodem Episcopo productis, & á Regio Con-

silio examinatis) obsequendo pro eo quod ex præmissis resultant redditus dictæ Mensæ Capitularis cum toto eo, quô duodecim Dignitates in dicta Majori Ecclesia pro tempore obtinentes extra dictam Mensam Capitularem gaudent, ad summam quatuor centum triginta quinque millium, & trecentorum quinquaginta trium regalium monetæ illarum partium annuatim ascendere, ac cuilibet ex dictas Dignitates in dicta Majori Ecclesia obtinentibus sex mille regales dictæ monetæ, & cuilibet ex ipsius Majoris Ecclesiæ Canonicis, ut præfertur reductis, juxta eorum, & cujuslibet eorum Portionem majorem, sivè *Gruesa* nuncupatam quatuor mille quingentos, & viginti regales ejusdem monetæ, & ulterius eisdem quinquaginta quinque ipsius Majoris Ecclesiæ Canonicis, ut præfertur reductis, insimul computatis quâdam dotatione vulgò nuncupata de *Gallinas*, aliisque distributionibus, quinque mille nongentos quadraginta septem regales monetæ similis etiam annuatim obvenire. Redditus verò, quibus duodecim in dicta Majori Ecclesia Beneficiati *Baccalauri chorales* nuncupati, & quatuor ipsius Majoris Ecclesiæ *Portionarij Sancti Marcelli* etiam nuncupati, necnon in ea duodecim perpetui *Cappellani de Canto fermo* paritèr nuncupati extra dictam Mensam Capitularem fruuntur valde tenues existere; & similtèr ex *jurisdictione*, quæ ab aliquibus ex ipsas Dignitates dictæ Majoris Ecclesiæ ut præfertur, obtinentibus ratione Dignitatum ob-

tentarum hujusmodi in quibusdam, & diversis Locis dictæ Diœcesis exercetur, varia inconvenientia cum pacis, & boni regiminis Diœcesis hujusmodi præjudicio provenire.

Præces aucore Carolo III. Rege Catholico Appostolicæ Sedi porrectæ ad suppressionem aliorum quindecim Canonicatuum, sive Præbendarum, ejusdem Ecclesiæ Legionensis habentur; necnon suæ Sanctitatis placitum Regijs votis, distributioque fructuum Præbendarum sic extinctarum ad uberiorem Dignitatum, Canonicorum, cæterorumque Choro, divinoque cultui inservientium dotationem.

§. V. Hinc cum dilectus etiam Filius *Emmanuel de Roda* præfati CAROLI Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Minister interinus preces nomine ipsius CAROLI Regis cupientis, quod Præbendati dictæ Majoris Ecclesiæ in ea, ut infrà, remansuri melius dotentur, ipsiusque Majoris Ecclesiæ Ministri inferiores pro eorum, & cujuslibet eorum status Sacerdotalis decentia etiam melius provideantur, & disciplina ecclesiastica in eâdem Majori Ecclesiâ melioretur, ibique divinum servitium rectè, exactèque exerceatur, Nobis detulerit; Nos propterea, qui dudùm inter alia voluimus, statuimus, & ordinavimus, quod petentes Beneficia Eclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem tàm Beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeret, & in unionibus semper commissio fieret *ad partes*, precibus hujusmodi, ac piis dicti CAROLI Regis desideriis in præmissis benignè annuere, ac specialem gratiam facere volentes, necnon eumdem *Emmanuelem* à quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis á jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium tantùm consequendum harum seriè ab-

solventes , & absolutum fore censentes , ac aliarum applicationum eidem Mensæ Capitulari dictæ Majoris Ecclesiæ hactenùs forsàn factarum , si quæ sint , tenores etiam veriores , ac datas præsentibus pro expressis habentes ; Motu proprio , & ex certa scientia , meraque deliberatione *nostris* ex præfatis quinquaginta quinque Canonicatibus , & Præbendis nunc in dicta Majori Ecclesia existentibus , ad quos , dum illi pro tempore vacant , nominatio Personæ idoneæ in eis ad nominationem hujusmodi per Ordinarium Loci , aut aliàs instituendæ juxta CONCORDATA inter recolendæ memoriæ BENEDICTUM PAPAM XIV. similitèr Prædecessorem nostrum , & Sedem Apostolicam præfatam ex una, & eumdem FERDINANDUM Regem, dum ut præfertur , viveret , ex altera partibus inita ad eumdem CAROLUM Regem spectet, & pertineat, quindecim Canonicatus , totidemque Præbendas , non tamen illos de Officio existentes , ex nunc prout ex tunc , & é contra cum primum illos , & illas per cessum etiam ex causa permutationis , vel decessum , seu privationem , aut quamvis aliam dimissionem , vel amissionem , seu religionis ingressum , & professionis in ea emissionem, illos , & illas nunc obtinentium , aut aliàs quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam præfatam etiam in aliquo ex mensibus nobis , & Romano Pontifici pro tempore existenti , Sedique præfatæ per quascumque Constitutiones Apostolicas , aut Cancellariæ Apostolicæ regulas editas , vel edendas , aut aliàs quomodolibet reservatis , seu Ordinariis

Collatoribus, etiam per Constitutiones, & Regulas easdem, aut alia privilegia, & indulta hactenùs concessa, & imposterum concedenda competentibus vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, aut aliàs quovis modo, quan etiam si ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet, eisdem præsentibus haberi volumus pro expressa, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberas illos, & illas nunc, ut præfertur obtinentium, vel quorumvis aliorum resignationes de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus spontè factas, aut assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quâvis auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, illique, & illæ dispositioni Apostolicæ specialitér, vel aliás generalitèr reservati, & reservatæ existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum eisdem præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, illorum, & illarum, ac cujuslibet eorum, & earum respective titulum collativum, denominationem, naturam, & essentiam Canonicatuum, & Præbendarum collativorum, & collativarum, ita quod illi, & illæ ex nunc perpetuis futuris temporibus collativi, & collativæ esse desinant, & de cætero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, seu de illis, ac illorum, & illarum quolibet, & qualibet quovis modo disponi amplius nequeant, & si illos, &

illas, ac illorum, & illarum quemlibet, & quamlibet ullo unquam tempore conferri, vel impetrari, aut aliàs de illis, ac illorum, & illarum quolibet, & qualibet disponi contigerit, collationes, impetrationes, & quævis aliæ dispositiones de illis, ac illorum, & illarum quolibet, & qualibet quomodolibet faciendæ nullæ, & invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, de consensu præfati CAROLI Regis Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus, ipsisque quindecim Canonicatibus, totidemque Præbendis per præsentes, ut præfertur suppressis, & extinctis, numerum Canonicatuum, & Præbendarum in dicta Majori Ecclesia in futurum existere debentium ad quadraginta Canonicatus, totidemque Præbendas; illorum veró, & illarum respectivè titulares ad viginti octo tantùm (reliquis duodecim Canonicatibus, totidemque Præbendis dictum quadragenarium numerum componentibus eisdem duodecim Dignitatibus præfatæ Majoris Ecclesiæ, ut infrà, unitis remansuris) dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuó reducimus, ac omnia, & singula eorumdem quadraginta Canonicatuum, totidemque Præbendarum per præsentes, ut præfertur, reductorum, & reductarum, ac præfatarum duodecim Dignitatum etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra, cum primum eædem duodecim Dignitates, & earum quælibet ex illas nunc respec-

tivè obtinentium personis quovis modo, ut suprà, vacaverint respectivè bona, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta universa eidem Mensæ Capitulari dictæ Majoris Ecclesiæ, ita quod liceat præfatis modernis, & pro tempore existentibus Decano, ac Capitulo, & Canonicis dictæ Majoris Ecclesiæ eorum, ac dictæ Mensæ Capitularis nomine eorumdem quadraginta Canonicatuum, & Præbendarum per præsentes, ut præfertur, reductorum, & reductarum respectivè bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum præfatorum veram, realem, corporalem, & actualem possesionem propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, dictaque bona, res, & proprietates hujusmodi locare, dislocare, arrendare, illorumque respectivè fructus, redditus, proventus, & emolumenta præfata percipere, exigere, levare, ac infrascriptorum onerum, & infrascriptarum donationum, ut infra, faciendarum adimplementum, & non in alios usus convertere eâdem Apostolicâ auctoritate paritèr perpetuò applicamus, & appropriamus.

Anexio Canonicatus, sive Præbendæ Canonicalis unicuiquæ ex duodecim dignitatibus cum primum quovis modo vacaverint; assignatis econtra Canonicis graduatis nempè Doctorali, Magistrali, Lectorali, & Pœnitenciariæ ut vocant, quatuor dignitatibus in perpetuum.

§. VI. Et duodecim Canonicatus, totidemque Præbendas ex dictis quadraginta Canonicatibus, & Præbendis dictæ Majoris Ecclesiæ per præsentes, ut præfertur, reductis ex nunc, prout ex tunc, & è contra, cum primum ipsi duodecim Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi

quovis modo, ut suprà, vacaverint, præfatis duodecim Dignitatibus dictæ Majoris Ecclesiæ nunc inibi existentibus, ibique pro illius majori decore, & splendore remanere debentibus, ita ut futuri dictarum duodecim Dignitatum præfatæ Majoris Ecclesiæ, & cujuslibet earum respectivè possessores sint, & esse debeant etiam dictæ Majoris Ecelesiæ Canonici; cum conditione tamen, quod ex dictis duodecim Canonicatibus, & Præbendis, ut infrà, uniendis quatuor Canonicatus, & quatuor de Officio videlicèt *Doctoralis*, & *Magistralis*, ac *Lectoralis*, & *Pœnitentiaria* respectivè nuncupatæ Præbendæ, de quibus etiam ad formam dictorum Concordatorum prævio concursu desuper habendo, ut anteà provideri debet, quatuor in Stallo Chori ultimis ex præfatis duodecim dictæ Majoris Ecclesiæ Dignitatibus videlicèt Scholastriæ, & Thesaurariæ, ac Abbatiæ Sancti Guillelmi nuncupatæ, & Prioratui ejusdem Majoris Ecclesiæ, ut infra, unitæ remaneant, ad effectum ut istæ quatuor posteriores Dignitates sint in præmium virtutis, & litteraturæ *Graduatorum*, ita tamen, ut de cœtero, ij quibus de dictis quatuor Canonicatibus, & quatuor videlicet Doctorali, & Magistrali, ac Lectorali, & Pœnitentiaria respectivè nuncupatis Præbendis hujusmodi, prævio dicto concursu desupèr, ut præfertur, habendo, respectivè pro tempore provisum fuerit, Canonicus Doctoralis videlicet etiam *Scholasticus*, & Canonicus Magistralis paritèr etiam *Thesaurarius*, & Canonicus Le-

ctoralis similitèr etiam *Abbas Sancti Guillelmi* nuncupatus, & Canonicus Pœnitentiarius similitèr etiam *Prior dictæ Majoris Ecclesiæ* paritèr respectivè sint, & esse debeant; firmis tamen remanentibus tredecim Ministris in dicta Majori Ecclesia *Cappellam Musicorum* actualitèr constituentibus, ac tribus eidem Fabricæ dictæ Majoris Ecclesiæ, ac aliâ eidem Tribunali Sacræ Inquisitionis perpetuò respectivè unitis, ac alia *de Apeos*, ut præfertur, nuncupata, & similitèr aliâ ex præfatis Præbendis á dicto Episcopo Legionensi, ut præfertur, lucranda, qua omnes una æquali portione dictis viginti octo Canonicis titularibus assignanda gaudere debent, Apostolica auctoritate præfatâ similitèr perpetuó unimus, annectimus, & incorporamus.

Jurisdictio inferior Ecclesiastica hactenùs ad Dignitates jure antiquo pertinens, Episcopo Legionensi restituitur.

§. VII. Et á præfatis duodecim Dignitatibus dictæ Majoris Ecclesiæ etiam ex nunc prout ex tunc, & é contra, cum primum eædem duodecim Dignitates, & illarum quælibet ex illas nunc respectivè obtinentium personis quovis modo, etiam ut supra, vacaverint, omnimodam jurisdictionem, quam ipsas duodecim Dignitates nunc obtinentes ratione earumdem Dignitatum obtentarum in quibusdam, & diversis præfatæ Diœcesis Legionensis locis respectivè exercent, dicta Apostolica auctoritate itidem perpetuó sejungimus, & abdicamus, ipsamque jurisdictionem sic sejunctam, & abdicatam ad tollendas lites, & competentias hujusmodi de causa oriri solitas, & pro meliori justitiæ administratione Episcopo

Legionensi pro tempore existenti eâdem Apostolicâ auctoritate etiam perpetuò concedimus, & assignamus.

§. VIII. Et à dictis quatuor centum triginta quinque mille tercentum quinquaginta tribus regalibus dictæ monetæ summam triginta trium millium & quadraginta regalium præfatæ monetæ Apostolicâ auctoritate præfatâ segregamus, & separamus; & ex præfatâ summâ sic segregatâ, & separatâ novem mille & quadraginta regales monetæ hujusmodi videlicèt operi pio *Infantium expositorum* in Civitate, vel Dioecesi Legionensi existenti ratione Portionis majoris, sive Grossæ nuncupatæ duarum antiquarum Præbendarum ipsi Operi pio aliàs unitarum; & alii viginti quatuor mille regales præfatæ monetæ ex dicta summa per Nos, ut præfertur, segregata, & separata superstante dictis duodecim in eâdem Majori Ecclesia perpetuis Beneficiatis *Baccalauris Choralibus*, ut præfertur, nuncupatis, & quatuor ejusdem Majoris Ecclesiæ *Portionariis* in eorum, & cujuslibet eorum dotis augmentum, in summa tamen mille, & quingentorum regalium monetæ similis eorum cuilibet annuatim tradenda. Residuales verò quatuorcentum duo mille biscentum quindecim regales dictæ monetæ in quinquaginta unam Præbendas cum dimidia Præbenda simili divisi, ex eisdem Præbendis sic divisis duas illarum videlicèt dictæ Majoris Ecclesiæ Decano, & unam Præbendam cum dimidia alterius Præbendæ similis cuilibet ex reliquis undecim ip-

Aliæ aplicationes *Infantibus expositis, Bachalauris Choralibus* duodecim, *Porcionarijsque* quatuor almæ Ecclesiæ Cathedralis fiunt: Decano duæ Præbendæ, cœteris Dignitatibus Præbenda & dimidia, Fabricæ tres Præbendæ, Canonicis vero singulæ Præbendæ asignantur.

sius Majoris Ecclesiæ Dignitatibus, & unam cuilibet ex dictis viginti octo Canonicis titularibus, ac tres dictæ Fabricæ, & unam dicto Tribunali Sacræ Inquisitionis, & unam de Apeos, ut præfertur, nuncupatam, & sic cuilibet ex præfatis quinquaginta una Præbendis cum dimidia Præbenda simili septem mille octingenti & decem regales præfatæ monetæ respectivè obveniant.

Augetur etiam portio singulis Cappellanis Cathedralis Ecclesiæ à fabrica persolvenda.

§.IX. Cum hoc tamen, quod præfata Fabrica dictæ Majoris Ecclesiæ, cujus redditus excedunt summam centum triginta trium millium regalium dictæ monetæ, & quæ hucùsque cuilibet ex dictis duodecim Cappellanis præfatæ Majoris Ecclesiæ octingentos octoginta regales præfatæ monetæ annuatim persolvit, in posterum cuilibet eorum ratione augmenti redditum dictarum trium Præbendarum eidem Fabricæ, ut præfertur unitarum, ultrà dictos octingentos octoginta regales præfatæ monetæ alios quingentos regales monetæ hujusmodi etiam annuatim subministrare debeat; ita ut in futurum annuus redditus cujuslibet ex dictis Cappellanis sit in summa mille trecentorum octoginta regalium dictæ monetæ, cum quâ summâ, ac etiam eleemosyna Missarum ipsi duodecim Cappellani dictæ Majoris Ecclesiæ poterunt juxtà eorum statum Sacerdotalem se decentèr manutenere.

Ordo servandus in provisione hujusmodi duodecim Beneficiorum Bacalaureorum habetur antiquo, quà fueri potuit, inhærendo, necnon Concordato Hispaniarum.

§. X. Quodque provisio dictorum duodecim Beneficiorum, quæ hactenùs ad dictæ Majoris Ecclesiæ Decanum, & Canto-

rem alternatim spectavit, deinceps respectu duorum ex prefatis duodecim Beneficiis in duobus primo, & secundo loco eventuris, & deinde futuris, & successivis prefatorum duorum Beneficiorum hujusmodi vacationibus ad pro tempore existentes Capitulum dictæ Majoris Ecclesiæ, prævio tamen concursu cum edictorum affixione, in personas duorum individuorum vocem acutiorem vulgó nuncupatam *Soprano*, sive mediam vulgó etiam nuncupatam *Tenore*, sive gravem vulgó similitèr nuncupatam *Basso*, ac Subcantoris respectivè vocem, quæ in auxilium Subcantorum dictæ Majoris Ecclesiæ magis necessaria judicabitur respectivè habentium, & respectu aliorum sex ex dictis duodecim Beneficiis illorum, & cujuslibet illorum respectivè provisio ad ipsius Majoris Ecclesiæ Decanum, & Cantorem, prout usque nunc practicatum fuit. Respectu verò reliquorum quatuor ex præfatis duodecim Beneficiis succedentibus pro tempore illorum, & cujuslibet eorum respectivè vacationibus in mensibus Sedi Apostolicæ præfatæ reservatis, aliisque reservationibus, & affectionibus Apostolicis etiam pro tempore occurrentibus ad illa nominatio hujusmodi ad præfatum CAROLUM Regem ad formam tamen dictorum Concordatorum in personas præcedentèr examinatas, & in concursu super cantu figurato habendo approbatas facienda; in mensibus vero dictæ Sedi Apostolicæ minimè reservatis, & cessantibus aliis reservationibus, & affectionibus Apostolicis præfatis eorum, & cujuslibet

eorum collatio personis tamen, ut supra, examinatis, & approbatis etiam facienda ad pro tempore existentem Episcopum Legionensem respectivè spectet, & pertineat, eâdem Apostolica auctoritate etiam perpetuò concedimus, & assignamus.

Statuitur regula tenenda in Dignitatibus quoad earum dotationem, donec supressio Canonicatuum efectum sortiatur plenarium.

§. XI. Et attento quod antequam concessio, & assignatio dictarum Præbendarum dicto Decano, & reliquis undecem Dignitatibus dictæ Majoris Ecclesiæ per Nos, ut præfertur, factæ, aliaque omnia, & singula in præsentibus contenta, & expressa suum integrum sortiantur effectum, aliqua ex dictis duodecim Dignitatibus sit vacatura, & de illa alicui canonicè provideri contigerit, & hac occasione oriri posset difficultas super concessione, & assignatione dictæ Præbendæ, ut suprá facienda, & ne hoc medio tempore dicta Mensa Capitularis, cui omnes fructus dictarum duodecim Dignitatum, ut præfertur, vacaturarum applicati, & appropriati fuerunt, illarumque jurisdictio dictæ Mensæ Episcopali, etiam ut præfertur, concessa, & assignata fuit, gravata remaneat, prout esset remansura, ad omnem dubietatem, & difficultatem tollendas, quod ipsa Mensa Capitularis, donec, & quousque concessio, & assignatio fructuum dictarum duodecim Dignitatum eidem Mensæ Capitulari assignatorum, & applicatorum, aliaque præmissa, ut supra, suum integrum sortiantur effectum, illi, qui Decanatu præfato hoc interim vacaturo provisus fuerit, unam Præben-

dam cum dimidia alterius Præbendæ similis, illi veró, qui de aliqua ex reliquis undecim Dignitatibus ipsius Majoris Ecclesiæ etiam hoc interim vacatura provisus extiterit, unam Præbendam tantùm; effectu verò integralitèr sequuto, Præbendas hujusmodi juxta concessionem, & assignationem per Nos, ut præfertur factas hujusmodi persolvere debeat, dicta Apostolica auctoritate paritèr perpetuò decernimus & declaramus.

Iterum agitur de collatione, & nominatione beneficiorum Bachalaureorum.

§. XII. Et quod evacuatis in præfatis duabus eorumdem duorum Beneficiorum vacationibus primo, & secundo loco, ut præfertur eventuris dictorum Capituli, & Canonicorum prætensionibus in reliquis futuris, & successivis reliquorum decem Beneficiorum hujusmodi vacationibus alternatim procedi debeat; talitèr ut in tertia cujuslibet eorum vacatione illius collatio ad pro tempore existentem Decanum, seu Cantorem dictæ Majoris Ecclesiæ, & in quarta vacationes juxta vacationis hujusmodi eventum, etiam ad illud nominatio hujusmodi ad præfatum Carolum Regem, seu illius Collatio ad Episcopum Legionensem pro tempore existentem; in quinta verò vacatione collatio hujusmodi ad eosdem pro tempore existentes dictæ Majoris Ecclesiæ Decanum, & Cantorem, & sic successivè, ad hoc ut in posterum in qualibet Beneficiorum hujusmodi vacatione sciatur, cui nominatio, seu Collatio hujusmodi sit competitura, respectivè spectare debeat, dicta auctoritate nostra paritèr perpetuò ordinamus, & declaramus.

Asignatur augmentum in distributionibus quotidianis.

§. XIII. Et ad compensandam Ecclesiasticorum dictæ Majoris Ecclesiæ Ministrorum diminutionem cum majori residentia illorum, qui pro dictæ Majoris Ecclesiæ servitio sunt remansuri, quod à fructibus redditibus, & proventibus dictorum quindecim Canonicatuum, totidemque Præbendarum per præsentes, ut præfertur, suppressorum, & extinctorum, suppressarum, & extinctarum separentur triginta mille regales dictæ monetæ pro distributionibus quotidianis pro tempore existentibus Canonicis dictæ Majoris Ecclesiæ, ac Dignitates præfatas in ea obtinentibus apud eamdem Majorem Ecclesiam residere debentibus assignandis; ita quod ex eisdem triginta mille regalibus monetæ præfatæ, ut præfertur, separatis, septem mille & quingenti regales ejusdem monetæ distribui debeant inter illos, qui diebus festis videlicèt Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Froilani dictæ Majoris Ecclesiæ Patroni cum eorum respectivè octava, ac etiam diebus festis Sanctissimi Corporis Christi, & Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, ac Paschatis Resurrectionis Dominicæ, necnon Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac Annunciationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Petri & Pauli, ac Jacobi Apostolorum in Choro dictæ Majoris Ecclesiæ assistentiam præstabunt: reliqui verò viginti duo mille, & quingenti regales dictæ monetæ in septem portiones æquales divisi pro assistentia horis Canonicis in dicta Majori Ecclesia

decantandis præstanda, una earum videlicet ad Primam, & earum dimidia ad Tertiam, & alia dimidia similis ad Sextam, & alia etiam dimidia ad Nonam respectivè horas Canonicas hujusmodi, & alia paritèr dimidia ad Completorium, ac una ad Missam Conventualem, ac alia ad Vesperas, & duæ earum integræ portiones hujusmodi ad Matutinum, & Laudes respectivè interessentibus respectivè assignentur. Quodque totus redditus á dictis duodecim Beneficiatis, præfatisque quatuor Portionarijs, necnon duodecim Cappellanis hujusmodi de novo acquirendus pro meliori dictæ Majoris Ecclesiæ servitio in distributiones quotidianas ab eisdem, & eorum quolibet eidem Majori Ecclesiæ inserviendo lucrandas convertatur.

Quomodo fieri debeat detractio pro distributionibus, dum suppressiones prædictæ non sint effectum totaliter sortitæ.

§. XIV. Quodque eveniente deinceps vacatione cujuslibet ex dictis quindecim Præbendis collativis (postquam tamen præfati moderni Capitulum, & Canonici dictæ Majoris Ecclesiæ de expensis per eos in expeditione præsentium faciendis reintegrati fuerint) extrahantur à dicta Mensa Capitulari mille, & quingenti regales dictæ monetæ, qui paritèr dictis Beneficiatis, & Portionariis horis Canonicis præfatis juxta methodum superius expressam assistere debentibus, assignari debeant pro distributionibus quotidianis, repartiendis tamen à pro tempore existente eorumdem Capituli, & Canonicorum Computatore, cujus computo economico dicti Beneficiati, & Portionarij erunt subjecti; & à residuali dictæ Præbendæ collati-

væ, ut præfertur vacaturæ, valore deduci debeat tertia residualis valoris hujusmodi pars inter pro tempore existentes dictæ Majoris Ecclesiæ Canonicos titulares, ac Dignitates in ea obtinentes distribuenda; & quod supererit, in præfata mensa Capitulari pro majori dote Præbendarum in dicta Majori Ecclesia subsistere debentium remaneat, eadem Apostolica auctoritate similitèr perpetuó statuimus, & decernimus.

Clausulæ & derogationes generales ad observanda perpetuò in hac constitutione statuta.

§. XV. Præsentes quoque semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, firmitèr, & inviolabilitèr observari, & adimpleri debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, & legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna, etiam ex eo quod cuicumque in præmissis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nèc ad id vocati, citati, & auditi fuerint, & causæ, propter quas præmissa emanaverint, aductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, ac inexcogitato, & inexcogitabili, ac specialem, specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirente defectu,

aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto resultante, vel etiam in corpore juris clauso, occasione, aliavè causa, etiam quantumvis justa, rationabili, juridica, legitima, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, aut aliàs superius expressis nullibi appareret, seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu, & scientia similibus, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, & impetrato quempiam uti, seu se juvari posse; neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrarijs dispositionibus per quascumque Literas, & Constitutiones Apostolicas per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem eamdem etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialitèr ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet clausulis, & decretis, etiam si in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, pro tempore æditas, & in posterum ædendas comprehendi, sed

semper, & omninò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præminentia fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocumque judicio, & in quacumque instantia judicari, & definiri debere, & quidquid secùs super his á quoquam quavis auctoritate scientèr, vel ignorantér contigerit attentari irritum, & inane motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus dicta auctoritate decernimus.

Judicum executorum deputatio.

§. XVI. Et insuper pro præmissorum observatione Venerabilibus Fratribus nostris modernis, & pro tempore existentibus Vallis-Oletano, & Palentino Episcopis per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque ubi, & quandocumque opus fuerit, & quoties requisiti fuerint solemnitèr publicantes; & in

præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabilitèr observari, illisque pacificè frui, & gaudere, non permittentes easdem præsentes illarumque plenarium effectum à quoquam desuper quomodolibet indebitè impediri; contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, servatâque forma Concilii Tridentini, sententias, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, Brachii Sæcularis auxilio.

§. XVII. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. paritèr Prædecessoris nostri, in quâ cavetur expressè, ne quis extra suam civitatem, vel Diœcesim nisi in certis tùnc expressis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu nè Judices à Sede Apostolica præfata deputati extra Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis suas vices committere audeant, vel præsumant, & in Concilio Generali ædita de duabus dietis, dummodo tamen ultra tres dietas aliquis vigore earumdem præsentium ad judicium non trahatur, ac voluntate, statuto,

Derogationes speciales stylo curiæ.

& ordinatione nostris præfatis, ac etiam nostris, & Cancellariæ Apostolicæ præfatæ regulis de exprimendo verò annuo valore in Beneficiorum Ecclesiasticorum suppressionibus, eorumque fructuum, reddituum, & proventuum dismembrationibus, & applicationibus, & *de jure quæsito non tollendo*, necnon Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones, & suppressiones perpetuas, nisi in casibus à jure præmissis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, & Generalibus Conciliis æditis, vel ædendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, dictæque Majoris Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Majori Ecclesiæ, illiusque Præsuli, ac Capitulo, & Canonicis, aliisque quibusvis Superioribus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet forsàm concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas

generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil pœnitùs omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialitèr, & expressè, necnon opportunè, & validè ad præmissorum omniùm validissimum effectum, hac vice dumtaxàt, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

§. XVIII. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suppressionis, extinctionis, reductionis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, sejunctionis, abdicationis, concessionis, assignationis, segregationis, separationis, declarationis, ordinationis, statuti, decreti, concessionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo primo, octavo Idus Februarii. Pontificatus nostri anno Quarto = Sanctio pœnalis

Loco ✠ Plumbi.